rationem componis, quam candide animum effundis, nec vitium quidem in tanta scribendi celeritate deprehendi, etsi ambitiosa cura investigaverim. Sed perge magna et coelestis anima, te ad eruditionis gloriam ... quam industria tua et omnium consensus tibi conciliarunt. Ego aliquando laudes tuas tuas dicam et palam memorabo, quibus studiis juventutem tuam transegeris atque exornaveris. Hoc unum nunc dixero, me maximam e literis tuis cepisse voluptatem, et malle me ejusmodi similes ex Schwetzinga tua accipere quam gazas illas quas Persa aut Indus mittit, ad singula verba exhilaratus sum singula verba exosculatus sum, dumque in omnibus maximam habeo libidinem, gloria institutionis meae intemperanter frui visus sum. Sed dum omnia mihi laetitiam afferunt, hoc unum mihi tristissimum atque acerbissimum videtur, quod tam diu non liceat sanctissimum tuum vultum intueri et adorare. Etsi et illa ferre possum modo tu feliciter valeas et aetate tua bene fruaris.

O et Praesidium dulce decus meum!

408 Miegio

Cancellario Palatino.

Emendavi ea de quibus me admonuisti etiam aliaquidam tollere conatus sum, quae Serenissimus Elector notaverat. An ubique voluntatem ac mentem tuam assecutus sim, parum scio; curabo tamen ut diligentissimam assequar ubi Archivorum monumentis instructus, me ad scribendum historiam rursus appulero. Mitto simul literas, quas super hoc argumento ad Cl. Fabricium dedi; ut ex lexis perspicias quid mihi scribendi defuerit. Caeterum te oro atque peto, ut quoniam benignus candidusque rerum mearum

arum aestimatorem esse cupis, hanc gratiam mihi insuper concedas ut post haec te invisere vultuq[ue] ac sermone tuo frui liceat. Vale

Serenissimo Principi El.li
Carolo. 409.

Intelligo Joh. Seobaldum Fabritium gratiam Serenissimo Electori egisse, quod Historiam Friderici Primi per me exhibitam clementi faciliq[ue] vultu exceperit. Non quidem invideo homini istam gloriam, quam in conquirendis rebus Palatinis se meruisse semper putavit; miror tamen, quod jam demum famam ab historia ambiat, quam modo ante annos aliquot Seren.mo Electori obtulit. Nam ante biennium illud ipsum Syntagma, quod jam per me Serenissimo Electori traditum, et placuisse putat in Bibliotheca Electorali vidi; unde, quum abhinc septem menses Serenitati Tuae illud offerret, reponendum inter caeteros libros judicavi, nec operae pretium putavi esse, ut Serenissimo Electori monstrarem. Nunc vero cum intempestiva gratiarum actione fructum et jucunditatem meorum laborum carpat, et plausus alienae laudis sibi concedet. Oro et obtestor Serenitatem Tuam, ut illud ipsum Fabricianum opus Serenis.mo Electori ostendas. Certe quantum uterque differamus, quivis facile agnoscet, qui nostra simul composuerit. Ille carptim delineare res Friderici, et tantum Sciagraphiam historiae contexere placuit; mihi justam historiam scribere consilium fuit, in qua et ordine et stylo et rerum copia illum antecessi. Sed liceat audacter loqui quum et illa Fabriciana ex Remnatensi et Trithemio, ex quibus omnia sua ipse hausit, simul mihi perspexisse contigerit, et alia mihi obvenerint, quae ipse parum observavit, certe iisdem historiae legibus non inclusit. Plura non declamabo pro fama mea quum judicio Sapientissimi Principis scripta nostra offerri cupidem. Vale.